

T44

*Metamorfosi X, 446-518*  
**La colpa e il supplizio**

**Metro:**  
esametro

Tempus erat, quo cuncta silent, interque Triones  
 flexerat obliquo plastrum temone Bootes:  
 ad facinus venit illa suum; fugit aurea caelo  
 Luna, tegunt nigrae latitantia sidera nubes;  
 450 nox caret igne suo; primus tegis, Icare, vultus,  
 Erigoneque pio sacrata parentis amore.  
 Ter pedis offensi signo est revocata, ter omen  
 funereus bubo letali carmine fecit:  
 it tamen, et tenebrae minuunt noxque atra pudorem;  
 455 nutricisque manum laeva tenet, altera motu  
 caecum iter explorat. Thalami iam limina tangit,  
 iamque fores aperit, iam ducitur intus: at illi  
 poplite succiduo genua intremuere, fugitque  
 et color et sanguis, animusque relinquit euntem.  
 460 Quoque suo propior sceleri est, magis horret, et ausi  
 paenitet, et vellet non cognita posse reverti.  
 Cunctantem longaeva manu deducit et alto  
 admotam lecto cum traderet: "Accipe" dixit,  
 "ista tua est, Cinyra" devotaque corpora iunxit.  
 465 Accipit obsreno genitor sua viscera lecto  
 virgineosque metus levat hortaturque timentem.  
 Forsitan aetatis quoque nomine "filia" dixit,  
 dixit et illa "pater", sceleri ne nomina desint.  
 Plena patris thalamis excedit et impia diro  
 470 semina fert utero conceptaque crimina portat.  
 Postera nox facinus geminat, nec finis in illa est,  
 cum tandem Cinyras, avidus cognoscere amantem  
 post tot concubitus, inlato lumine vidit  
 et scelus et natam verbisque dolore retentis  
 475 pendenti nitidum vagina deripit ensem;  
 Myrrha fugit: tenebrisque et caeae munere noctis  
 intercepta neci est latosque vagata per agros  
 palmiferos Arabas Panchaeaque rura relinquit  
 perque novem erravit redeuntis cornua lunae,  
 480 cum tandem terra requievit fessa Sabaea;  
 vixque uteri portabat onus. Tum nescia voti  
 atque inter mortisque metus et taedia vitae  
 est tales complexa preces: "O si qua patetis  
 numina confessis, merui nec triste recuso  
 485 supplicium, sed ne violem vivosque superstes  
 mortuaque extinctos, ambobus pellite regnis  
 mutataeque mihi vitamque necemque negate!".

- Numen confessis aliquod patet: ultima certe  
vota suos habuere deos. Nam crura loquentis
- 490** terra supervenit, ruptosque obliqua per unguis  
porrigitur radix, longi firmamina trunci,  
ossaque robur agunt, mediaque manente medulla  
sanguis it in sucos, in magnos bracchia ramos,  
in parvos digitii duratur cortice pellis.
- 495** Iamque gravem crescens uterum perstrinxerat arbor  
pectoraque obruerat collumque operire parabat:  
non tulit illa moram venientique obvia ligno  
subsedit mersitque suos in cortice vultus.  
Quae quamquam amisit veteres cum corpore sensus,
- 500** flet tamen, et tepidae manant ex arbore guttae.  
Est honor et lacrimis, stillataque cortice murra  
nomen erile tenet nulloque tacebitur aevo.  
At male conceptus sub robore creverat infans  
quaerebatque viam, qua se genetricie relicta
- 505** exsereret; media gravidus tumet arbore venter.  
Tendit onus matrem; neque habent sua verba dolores,  
nec Lucina potest parientis voce vocari.  
Nitenti tamen est similis curvataque crebros  
dat gemitus arbor lacrimisque cadentibus umet.
- 510** Constitit ad ramos mitis Lucina dolentes  
admovitque manus et verba puerpera dixit:  
arbor agit rimas et fissa cortice vivum  
reddit onus, vagitque puer; quem mollibus herbis  
naides inpositum lacrimis unxere parentis.
- 515** Laudaret faciem Livor quoque; qualia namque  
corpora nudorum tabula pinguntur Amorum,  
talis erat, sed, ne faciat discrimina cultus,  
aut huic adde leves, aut illis deme pharetras.